






























Universis et Singulis

in quacunque dignitate Civili, Ecclesiastica aut Militari ubivis gentium constitutis, ad quorum Notitiam praesentes Literae pervenerint. Nos Praefectus Consules Reliquusque Senatus Inclytae Civitatis Abredonensis in Septentrionali parte Regni Magnae Britanniae Salutem in Domino Sempiternam. Quum veritati non adesse nostro deesse sit officio sine fuco aut fallacia candide et ex animo testificamur Quod quo die datae sunt hae literae coram nobis pro tribunali ad jus dicendum causasque audiendas sedentibus apparuerit Honorabilis vir Alexander Gordonius de fontibus frigidis aut Coldwells in parochia de Ellon in Comitatu nostro Abredonensi Qui humiliter petiit ut quo pollemus auctoritate tam peculiaribus quam ceteris quid re esset testificaremur. Alexandrum Gordonium petitoris filium legitimum et natu maximum praelatorem in .... in Republica Poloniae nunc Commorantem (qui mense ...... anni millesimi septingentesimi vigesimi secundi annum tunc decimum quartum aetatis agens ad exteras Regiones profectus est) generoso stemmate et Honorabili prosapia oriundum ac parentibus legitimo thoro susceptis legitime procreatum esse cujus aequissimae petitioni pro officii nostri ratione deesse non sustinuimus Quapropter scrutinio super hac re instituto ex archivis nostris optima fide in primis compertum Habemus dictum Alexandrum Gordonium patrem praedicti Alexandri nunc in Polonia Degentis filium fuisse legitimum Honorabilis viri Alexandri Gordonii de fonte frigido aut Coldwells nunc vita defuncti ex honorabili femina Christiana Gordonia ipsius Conjuge dictum vero Alexandrum Gordonium praefati Alexandri patrem filium fuisse legitimum Honorabilis viri Joannis Gordonii de frigido fonte olim vita defuncti dicti Alexandri Gordonii praelatoris apud Polonos proavi paterni ex Honorabili femina Marjoria Cheyn legitima ipsius Conjuge dictumque Joannem Gordonium filium fuisse legitimum demortui Jacobi Gordonii filii Domini de Nethermuire (ex familia Nobilissimi Comitis de Abredonia) dicti Alexandri Gordonii Polonensis abavi paterni ex honorabili femina ...... Gordonia legitima ipsius conjuge dictamque Marjoriam Cheyn filiam fuisse legitimam demortui Gualteri Cheyn de Arnage ex lectissima femina .... legitima ipsius Conjuge Dictam vero Christianam Gordoniam praefati Alexandri aviam filiam fuisse legitimam defuncti Alexandri Gordonii de Kingoodie dicti Alexandri proavi Paterni ex generosa femina Marjoria Seton legitima ipsius Conjuge praefati Alexandri Gordonii abaviae Paternae dictumque Alexandrum Gordon de Kingoodie filium fuisse legitimum Georgii Gordonii de Pitlurg olim vita defuncti praedicti Alexandri Gordonii Polonensis abavi paterni ex generosa femina ...... Gordonia ejus legitima Sponsa praefati Alexandri Gordonii Polonensis attaviae paternae dictamque Marjoriam Seton praefati Alexandri Gordonii proaviam paternam filiam fuisse legitimam demortui ...... Seton de Newark ex Honorabili femina ...... Ogilvie legitima ipsius Conjuge tritaviae paternae dicti Alexandri Gordonii Polonensis filia legitima Honorabilis viri ...... Ogilvie de Newgrange fratris germani nobilissimi Comitis de Airly qui fuit dicti Alexandri Gordonii Polonensis tritavus. Atque Insuper in judicium vocavimus compertae fidei, probitatis ac authoritatis viros provectaeque aetatis quorum testimoniis indubiam deferimus fidem Viz.t Dominum Alexandrum Forbes de Foveran Equitem Baronettum, et Dominum Thomam Irvine Navarchum fratrem germanum nuper defuncti Alexandri Irvine Antiquissimi Baronis de Drum qui solemni interposito juramento elatis dexteris Sanctissime confirmarunt et jure contestarunt praedicti Alexandri Gordonii praelatoris Polonensis Matrem legitimam patris ejus Alexandri Gordonii de fonte frigido aut Coldwells Conjugem legitimam jam defunctam fuisse Margaretam Lunan filiam legitimam defuncti Reverendissimi magistri Alexandri Lunan Rectoris parochiae de Daviot ex conjuge ejus legitima Janeta Elphinston sororis germanae defuncti Domini Jacobi Elphinston Equitis Baronetti Baronis de Logie dicti Alexandri Gordonii Polonensis aviae maternae quae Janeta Elphinston legitima erat filia defuncti Gulielmi Elphinston filii legitimi Baronis de Glack quae fuit proavia dicti Alexandri Gordonii praelatoris antedicti. Qui Gulielmus Elphinston dictam Janetam Elphinston legitime procreavit ex conjuge legitima Margareta Forbes, quae fuit abavia praedicti Alexandri Gordonii et filia legitima Domini Patricii Forbes filii legitimi Baronis de Tolquhon, ex antiquissima et nobilissima primarii apud Scotos Comarchi de Forbes familia immediate oriundo cujus Patricii Forbes patris Domini Alexandri Forbes Equitis et Baronis de Foveran uxor legitima attavia dicti Alexandri Gordonii Polonensis fuit Barbara Barclay filia legitima Honorabilis viri ...... Barclay Baronis de Gartley. Quique iidem Honorabiles et Intemeratae fidei testes testificantur dictum Reverendissimum Magistrum Alexandrum Lunan oriundum esse ex Patre Reverendissimo viro magistro Gulielmo Lunan Evangelii ministrum Priorem primum apud Cromarty et deinceps Rectorem parochiae de Daviot, Matrem fuisse legitimam Helenam Turing filiam legitimam viri maxime Honorabilis Domini Joannis Turing quondam Equitis et Baronis de Foveran ex amorosissima sua conjuge Domina ...... Forbes filia legitima Baronis de Lesly, quae fuit dicti Alexandri Gordonii Polonensis attavia dicti Domini Gulielmi Lunan Pater legitimus fuit Reverendissimus Dominus ...... Lunan Prior de Marykirk qui fuit dicti Alexandri Gordonii Polonensis tritavus Maternus. Nominatosque omnes praefati Alexandri Gordonii praelatoris in Republica Polonorum Majores ex testibus et archivis supra dictis constat nullo thalami probro aut degeneris tedis admixtione decoratos sed sub sacratissimo matrimonii connubio stirpes suas immaculatas transmisisse quum ita sint omnes et singuli. Apud quos praedictum Alexandrum Gordonium versari contigerit obnixe rogatos habemus ut illum generoso stemmate et illustri prosapia oriundum et ex parentibus legitimo thoro susceptis legitime procreatum esse intelligant et pro innata sua humanitate ac ingenito virtutis studio cum omni ope favore ac benevolentia receptum in destinatum dirigere terminum non graventur, quam gratiam non minus quam si in quemcunque nostrorum Civium collatam, cum foenore (si se dederit occasio) quantum in nobis est referendam, et medullitus grato nos percepturam unanimes spondemus. Et ut huic testimonio nostro sua constet et maneat fides Secretarii nostri Autographo nostro omnium nomine signatum, appenso civitatis nostrae sigillo, muniendum curavimus. Datum Abredoniae vicesimo septimo die mensis Martii Millesimo septingentesimo quadragesimo quinto et regni Supremi Domini nostri Georgii secundi Dei gratia Magnae Britanniae Franciae et Hiberniae Regis, fidei defensoris decimo octavo.

Aberdeen

John Burnett Ballivus

Robert Thomson. Secretarius Abredonensis.

James Morison Praefectus.

James Leslie Ballivus

William Gordon Ballivus


Wm Copland Decanus Guildae

John Mollen Ballivus




N. G.




do
Dypl. 561